

Werk

Titel: De Supputatione Multitudinis à Nullitate per Unitates finitas in Infinitum collin

Autor: Weigel, Erhard

Verlag: Bauhoferianis

Ort: Jenæ

Jahr: 1679

Kollektion: fid.mathematica

Signatur: 8 MATH I, 3933:4 (49) RARA

Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

Werk Id: PPN857449303

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN857449303>

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=857449303>

LOG Id: LOG_0003

LOG Titel: Caput I. complectens Principia Supputationis

LOG Typ: chapter

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

De Supputatione reflexâ

Multitudinis universæ,

Quâ DEUS, (Computator ejus efficax) ab
Homine quâvis Demonstratione certius agnoscitur.

CAPUT I.

complectens

PRINCIPIA SUPPUTATIONIS.

§. I.



Nusquisque nostrum, etiam si solus sit, simul ac de semetipso cogitat (dum secum habitat) semet ipsum illico familiariter agnoscit: idque (1) Ratione Status, quando nudum Esse suum recognoscit: ubi non tantum indistinctè τὸ έιναι sui (nempe se realiter esse) sed & distinctè τὸ τὸ έιναι sui (np. se Mente præditum esse) per ipsam Mentem suam, adeoquè per se, nunquam non certò novit: ob eamque certam suimetipsus notitiam in sinu suo semper gaudet.

(2) Ratione Motus, quando secum habitare pergens Existentiæ suæ modum etiam perspectum sibi reddit, non tantum absolute, dum secundum prius & posterius cogitat, & se posterius idem cogitare meminit, quod se prius cogitasse recordatur; nam inde τὸ τὸ έιναι sui (se nim. id, quod erat, esse) certò colligit, adeoquè se quidem per vices esse resciscit, nihilominus ex identitate cogitationis suæ successivæ clarissimè deducit, se posterius in essendo præsentem, eundem esse qui, prius in essendo præsens, erat. Sed & relative perspectum habet Existentiæ suæ modum homo, quando se, tanquam unum ex multis compositum h.e. qn. partium suarum Numerum (unde totus dicitur)

A

citur)

citur) & Ordinem, (unde *talis*, & *tanti* momenti dicitur) refert ad externum sibi rerum finitarum circa se Numerum & Ordinem, cuius complexus à pulcritudine M U N D U S dicitur. Nam dum secum habitans perpendit, quod universus hic numerus, (totus np. Mundus) unà secum in essendo, non nisi successivè præsens sit, dum omnia præsentia secundum prius & posterius unà repræsentantur; homo verò cogitans, tanquam unitas è numero partium totius Mundi, reliquis posteriùs non plus, nec aliud quid, adjiciat; quam prius adjiciebat: igitur tacite numerando facile computat, se posterius, h. e. alterā positione s. præsentiat suā, non duas unitates facere, sed unam & eandem utrobiquè communi numero velut importare; quod vulgò dicitur *Unum numero manere*. Propter quam sui permanentiam & durationem, ipsomet essendi fluxu statam, tanto magis gaudet homo, licet solitarius, quanto longiore T E M P O R E durat, s. quanto majore *Numero Motus secundum prius & posterius, Vita sua*, s. vis activa realiter essendi, progreditur. Cujus Numeri, sanè quam admirabilis, (quippe nobis nec interni nec externi, sed utriusque rationis l. qs., nempe Numeri successivi) Quantitas, dicta Diuturnitas, qs. retrò s. post nos cadit, quam quisque nostrum, etiamsi Sol staret, ipsa momenta numerando, per se definitam in numerato semper habet, utut ejus ne vestigium quidem extra Mentem appareat, quod digito monstrari possit; præter ultimam unitatem, alteram semper ac alteram, quā cogitans unà cum toto Mundo, nunquam non de novo præsens, aetui ponitur & extat.

§. 2. M E N T E M autem ipsa praxi suā quisquè nostrum experitur esse Potestatem liberam (1) Cogitandi (2) Cogitatum Decernendi (3) Decretum ad animum revocandi, breviter, animadvertisi, juxta versiculum: *Cogitat*, atquè animo *Decretum advertit ab imo*.

Cogitandi scil. l. vagè, l. de certo scopo, np. vel de rebus cognoscendis, dum quærit, an & quomodo sint & se habeant? & dicitur I N T E L L E C T U S; vel de factis & actionibus seu de rebus, l. propter se, l. ob ulteriorem scopum, agendis aut patiendis, dum quærit, utrum hoc l. illud fieri placeat, an non? & dicitur V O L U N T A S. Ultraquè Facultas haec tenus indeterminata vocatur, alias *Intentio* s. Mens ignens, hinc *Ingenium*.

Cogitatum Decernendi, sc. sententiam Intentione genitam ferendi, se

se resolvendi, Mente pronunciando quod vel ut: np. vel statuendi,
quod hæc vel illa res se sic l. non sic habeat, & dicitur determinatus In-
tellectus, & judicium simplex; vel affectandi s. jubendi se vel alios, ut
Actus hic vel ille fiat l. non fiat; & dicitur determinata Voluntas, Placi-
tum & Jussus. Habitus utriusque, quo rectè decernitur, S A P I E N-
T I A dicitur; quo non rectè decernitur, Insipientia, Stultitia, vocatur.

Decretum *Animadvertisendi*, sc. ratiocinando s. dijudicando decre-
tum probatoriè conferendi cum ratione suâ, cur, & propter quam?
Unde procedit l. Gaudium, si rectæ rationi congruè decretum à se
conscia Mens advertat, diciturquè *Conscientia recta*, vel bona; vel è
contrario Dolor, si Decretum rectæ rationi non congruè factum ap-
pareat, & dicitur turbata l. mala *Conscientia*. Tres hos actus Mentis
Distichon memoriale breviter eloquitur:

Intendit gignens; genitus Decernit: Utrique
Congener ex animo procedit Spiritus imo.

§. 3. C O R P U S autem hominis exiguum universæ Multitudinis
unitatem facere, cuiquè sibi proximè spectabilem (aliquantulum visi-
bilis hujus Mundi partem esse) nemo non advertit. Toti tamen Mun-
do (Macrocosmo) non figurâ, sed viribus omnigenis, analogum
(vulgò Microcosmum) nihil aliud quam *organicum corpus esse*, qui-
libet ex usu proprio novit: Plane nihil enim designari potest in hu-
mano corpore, quod non sit instrumentum alicujus operationis ab
homine peragendæ.

§. 4. Organon autē, h.e. Instrumentum, est agentis & id decer-
nentis Causæ non pars, nedum agens & decernens ipsum, sed agen-
tis & decernentis alicujus (np. Mentis) adjunctum. Ergò quisquè
nostrum, etiamsi solus fuerit, se principaliter & propriè *Mentem esse*
facilè recordatur; non immunem, sed organo cuidam sibi penitus
adjuncto præfectam: np. talem, cui corporis perfecta species *Ani-
mal*, ejusquè summus essendi gradus *Rationale*, sc. animal (cujus
proprium est, esse risibile,) tanquam organon adjunctum
arctius unitur, ut Mens tanto cautius & attentius id prose-
quatur: Interea Mens à Corpore separabilis & seorsim existere
(per se subsistere) potens, ab animali suo, sicut Eques ab equo; Ma-
thematicus ab instrumentis suis; Fideicommissarius heres ab instru-
ento sibi legato; toto genere semper differt.

§. 5. Adjunctum autem Mentis, animale corpus, ceu vulgo dicitur, per se subsistere, nec alii cuidam instar accidentis inhærere (substantiam esse) vel palpando deprehendimus: quidni Mensem, adjuncti sui tanquam instrumenti Principalem, potiori jure per se subsistere (substantiam esse) nec ad juncto corpori, nedum alii cui-dam, inhærere, certi simus?

§. 6. Quin potius Mensem hominis, ut Principem, ut Regem, ut Rectorem, ut Procuratorem in rem suam, animali corpori præesse, (per quod & hanc Tellurem in ordinem sibi commodum redigere, cœloquè leges præscribendi principia captare potest) si nihil aliud, id certè docet, & evincit, quod locomotiva membra corporis ad humanæ Mensis jussum irrefragabiliter operentur (vulgo dicitur quod ei serviliter obedient: durius justo dictum; nemo namquæ membrorum suorum Dominus est) dum ea membra, quod Mens decer-nit, & quod exsequi nititur, promptè semper exsequuntur: Eo fere modo, quo directionem Equitis dexteroris equus, quantumvis ge-nerosus, promptè sequitur.

§. 7. Agere quidem aliquid etiam animale Corpus pro se posse, bruta nobis innuunt, dum sine Mente concupiscuntur, sen-tiunt, locoquè membra sua, quo placuerit, movent. Ast, quam ir- rationaliter, & quam incongruè, naturæ principali, scilicet regali, quâ Mens præcellit, se gerant, licet moribus destituta nunquam peccent, nemo non intelligit. Tantò magis animal humanum (*ζωὴν περὶ*, *δίπλου*, breviter *ζωὴν θεωπού*) si sine mente vehatur, amentis instar fu-rere, scilicet à Mensis moribus rectis exorbitare posse quisquæ facile præ-sumit, imò sæpius experit; quantò plures exorbitandi modos A-nimal humanum ex consortio neglectæ Mensis in se derivare potest. Quod ut tanto certius evitetur, tot bruta tam spurcis Menti moti-bus, instar speculi detestandorum, ob oculos nobis posita sunt.

§. 8. *Libertas enim infinita (sine limite naturali)* concessa nobis est, non quidem efficaciter agendi, (tecum enim habita, & noris, quam sit tibi curta supellex) omnimodè tamen vergendi, scopo cui-vis intendendi, potius hoc quam illud eligendi. *Vertibilitatem* dixeris *animadversalem* (qs. fluiditatem intentionalem & reactivam) quæ non superficialis tantum est, in longum & latum, sine reflexione, qua-lis bruto competit, sed penetrans etiam in profundum, cum reflexio-

ne. Pe-

ne. Penetrans igitur si sibi relinquitur, instar hydrargyri, quâ porta patet, ruit, ut somniando quivis experitur, ubi solâ vertibilitate Mens agit, fluendo quo fert impulsus qualiscunque. Fluidum scil. difficulter suis, facilè tamen alienis terminis continetur, non tantum extensivum, ut æther, aqua; d. & intensivum, ut Spiritus quat. in puris suis naturalibus spectatur.

§. 9. Hominem proinde naturâ suâ s. propriis viribus (ipsâ formali potestate sibi *naturaliter concessâ*) vagum esse, πλανήτην & erronem esse, nil quicquam recti præstare posse, tantum delinquerre, tantum declinare posse (cui, licet plagam rectam aliquando fors attingere contingeret, *errare* proprium [*humanum*] est) insomnia quemlibet nostrum clarè docent: Actiones etiam vigilantium negleguntur. Etæ Mentis idem saepius ad nauseam confirmant. Ob qvam doctrinam tanto certius ex insomniis hauriendam, vigoris humani subdum somno cessit, ut vigiliæ subsesquialteram totius vitæ rationem vix obtineant, & plus quam tertia pars otio somniali cedat.

§. 10. Ne tamen naturaliter adeò vaga libertas hominis exorbitet, sed ut intendendi, decernendi, animadvertisendi vis rectæ rationi statûs ipsius Mentis congruè semper exerceatur, ipsa quæ Mens inde constanter gaudeat, summoquæ cui destinatur *bono fruatur*; certo Directorio morali, Rectitudinis Indice, liberæ Menti provisum est, quo regulariter quotidie suppresso, Mens refectivum animali suo corpori somnum concedit, quem analogo sopore comitatur. Vigilantibus enim leges scriptæ sunt, non dormientibus. Eo vero vigente Mens vigilans, si secum habitat, ex semetipsâ statim intelligit, quò præcipue libera vis intendendi quovis casu vertenda sit; utrum ex oppositis liberè decernendum jam nunc veniat, ut astatu rationi statûs rectæ Mentis conveniat, & ipsa decretum ad animalium revocans, inde constanter gaudere queat. Huic Directorio s. Normæ, nunquam non sibi præsentissimæ, jubetur Mens, ut attendat & annuat, caveatque ne quicquam contra Directorium sponte moliatur aut decernat. Quod ipsum dictamen homo vigilans in promovendo corpore sic satis observat: utinam etiam in Mente provehendâ semper eidem auscultaret. Interea, dum in corpore prosequendo, si contra Directorium peccaverit, illico se graviter puniri, Mens experitur, (v.g. dum corpus in foveam incidit, si Mens

pro divaricatione pedum justò minus spatiū computaverit: dum cor-
pus ægrotat imò sæpè moritur, si Mens animali suo, justo plus pabu-
li dimentiens, injuriam stomacho fecerit:) illico reminiscitur, Direc-
torii perpetui leges mathematicas, adeò pœnales, nec ipsam, nec sui
generis Mentem aliam sibi tulisse; sed infinitam dari Mente, à quâ
Mentes finitæ Mensuram capiant: DEUM ESSE, Mundi Rectorem, ac
χεωμετρητα qui Mente humano corpori justè regendo sub capitali
pœnâ præfecerit; quidni Menti, ne semetipsam negligat, sub adhuc
graviori pœnâ simul injunxerit: quæ, numerare potens, ad rationes
reddendas naturâ tenetur, à quibus immunia sunt animalia, quæ
numerare nequeunt.

§. ii. Directorii verò s. Normæ moralis, naturaliter & or-
dinariè ducentis, officio funguntur Notitiaæ primæ nobiscum natæ, quæ
dicuntur Axiomata (v. g. semel unum est unum etiamsi sit infinitum :
Finis rei [terminus & limes rei] nibil est præter cogitationem : Finito-
rum autem Bis unum sunt duo : Totum suâ parte majus est : Quod
tibi non vis fieri, alteri ne feceris &c. quibus Verum à falso quoad
res, Bonum à malo quoad actiones, discernere, solumquè verum &
bonum eligendo decernere, sine literis, in ipso corde nostro nun-
quam non clarissimè docemur. O utinam omnes attenderent, & ab
his fontibus promanantium rivulorum, imò fluminum, Oceanum in-
defectibilis in corde gaudii subingredientium, ductus quasi cunicula-
res sensib⁹ absconditos, Menti tamē facile penetrabiles, sequerentur.

§. 12. Axiomatum, ut generalium principiorum, suscitabula
sunt Experientiaæ, tum immediatae, Mentis ipsius per se v. g. *Mentem
hominis* in *Ubi* per corpus suum & ipsius Mundi definito contineri ;
Corpus hominis (& quamlibet partem Mundi) loco circumscribi brevi-
ter & hominem & Mundum intus & extra finitum, adeoque *Nume-
rum esse* ; *Mentem ipsam* [unà cum toto Mundo] nunc prius, nunc
posterior, præterito priore, semper de novo presentem in effendo
fieri (numero successivo s. tempore provehi); tum mediatae, Men-
tis per sensus, h. e. per oblationem ab adjuncto sibi corpore factam,
observabiles, v. g. *Res Mundi circa Nos vario Statu & Motu variabi-
lis ordine disponi*, cum sexcentis determinatam Statu & Motu ratio-
nem specialiter ostendentibus, ut dicuntur, *Observationibus*.

§. 13. Noticias illas, ut Mentis alias tenebricosæ luculas (scin-
tillu-

tillulas) principia, rationes, & causas mentaliter operandi primas; unà cum immediatis experientiis, quisquæ nostrum simpliciter & indubie semper novit, intimè perspectas habet, intelligit, atquè sapit; iisquæ nixa mens agens (hinc *Recta Ratio dicta*) quicquid in rebus verum, & in actionibus bonum esse dici potest (quod ipsum etiam R A T I O rei, v. g. Ratio *Status*, aut Ratio *Motus*, inde dici solet) qt. ipsa judex est, ultimò dijudicat: dum Rationes Veri l. Boni nobis per se non undiquaque cognitas inde l. C E R T ò dedit, ut illas *sciat*; has intrepidè *velit*; l. S U B D U B I E, si res exigit, i. e. probabiliter & plus pro, quam contra, pendentibus (propendentibus) rationibus provocat, ut cum spe rectitudinis illas *opinetur*; has *tentet*.

§. 14. *Deductio* verò *Rationum* est l. *dictionalis* & *prædicativa*, l. *productionalis* & *computativa*. *DICTIONALIS* potius circa dictiones, quam circa res dictas versatur, cuius extrema Vis in *Subsumptione logica* consistit, quâ dictum de omni, simul etiam de quovis contento sub eo, dici statuitur: seu qua, quod universaliter dicitur, (sive verum sive falsum dicatur,) idem etiam singulariter, de quâvis ejusmodi re, dictum intelligitur, eo quod universale nomen certæ definitionis pro quovis ejusmodi singulari stet; & quod dictum quodvis, quat. dicitur (s. quat. *Verbum Nomi* per copulam E S T, construitur in casu recto) nihil aliud referat, quam *UNUM* & *IDEM*.

§. 15. *Subsumitur* autem Universale dictum l. *immediate* l. *mediatè*. *Immediate* per *INTERPRETATIONEM*, np. per *Explicationem* vocis lexicam, & per *Distributionem* significationis propriæ l. *impropriæ*, *latrioris*, *strictioris*, utram dicens elegerit, ex æquo, l. *περὶ* *talem*; & per *Applicationem* dicti generalis ad singulare quodvis acceptio*n* dicentis congruum. Quam acceptio*n* (ni præsens sit interpres verborum quisque suorum) divinare, fortunæ sæpè magis quam artis est. Hinc tot rixæ.

§. 16. *Mediatè* subsumitur per *SYLLOGISATIONEM*, quâ dispersè dictum, succinctè colligitur, unde *COLLECTIO* vocatur; quâ, quod alicui (mediante communi termino) dicitur idem esse; statuitur, eidem idem esse, dici: quod omnino verum est, & ex hypothesi necessarium, eo quod id antea dictum sit ipso facto, quod postea recensetur antea dictum esse. *Repetitioni* verò semper inest expressa pro-

protestatio, ne plus sit in conclusione quam in præmissis; neve quartus terminus subrepatur, h. e. ne vel tantillum ultra prius dicta postea dicatur. Oportet hinc (id quod etiam sufficit) syllogisantem esse memorem.

§. 17. Nihil itaque novi, nihil incogniti, refert Syllogisatio; consequenter nihil consilii, nihil compendii, nihil ad praxin commodi, nihil contemplatu quæsiti, per Syllogisationem gignitur aut producitur, ultra jam dum expressè dicta s. præmissa: sed hæc ipsa prius dicta sola, proorsus eadem, in Conclusione bonâ fide, saltem aliquantò contractius, denuò referuntur, recitantur & reconsentur. Hinc ab ipsomet Aristotele *Syllogismus ORATIO* dicitur, unde Syllogisatio potius *Oratiocinatio*, quam *Ratiocinatio* dicenda: cui nomen Conclusionis potius quam generationis & productionis quadrat.

§. 18. Interea dum Scapham Scapham dicit Syllogismus, summe necessariò verum est, quod repetit, si prius verum fuerit; Utrum autem prius verum sit, ille viderit, qui præmissas posuit Syllogisatione prosequendas. Ne tamen in actu Syllogandi contentioso, requisita probatione, silentium fiat, quod est contra naturam disputationis; *Canones dialectici* cavent, quibus omne dictum, etiamsi fortissima turris sit, dum serra contentionis edentula tantum ad Coricem reciprocatur, in utramque partem ventilari potest.

§. 19. *Deductio PRODUCTIONALIS* & computativa circa res ipsas versatur, etiam sine verbis literalibus (v. g. per diagrammata) propositas, etiam singulariter occurrentes; earumque *reales* & *essentialis RATIONES* (unde *RATIOCINATIO* dicitur) imo *casus* & *circumstantias*, expendit, & ex cognitis, inter se comparatis, incognitas eruit: adeoque sola Veritates atque Bonitates, alias i. planè i. certo modo latentes, naturaliter detegit, consilia dat, auxilia fert, compendia suggerit, commoda præstat, uno verbo *Praxin* (*Theoriæ fructum & effectum*) dirigit, imo *Theoriam* ipsam (non tamen verborum sed rerum) novo recentique certissimarum optimarumque veritatum proventu subinde fœcundat.

§. 20. Computo vero neglecto, licet sensum universalis dicti practici (v. g. legis) cum adhortatione seriâ sexcenties inculcaveris; licet etiam adhortatione fideli crebrâque commotus Auditor ex imo corde tandem logicè subsumserit; nihil agitur: non enim pene-

penetranter novit, cur? aut si novit, non reminiscitur, præter legis applicationem ad se, quicquam ulterius cogitandum esse: quo fit, ut actio quoquè ceslet.

§. 21. Ad agendum autem secundum reetam rationem præter universalis dicti substitutionem etiam computus & ratiocinatio requiritur; sicut ad memorandum sermo repetitus. Actiones enim rebus singularibus intercedunt, quæ certâ ratione (valoris & ordinis) inter se, tûm essentialiter, quoad rationem status; tûm accidentaliter quoad certos in operando casus & circumstantias, proportionatae sunt: ipsa vero proportio non nisi computando definiri potest.

§. 22. Exserit autem se computus per SCISCITATIONEM & INVENTIONEM (unô verbô per μάθησιν) quâ ratio latens inter ipsas rationes illi conjugatas queritur & inventa producitur. Mavθáveiv enim, latinè sciscitare, non est receptas sententias dicere, querentique verbaliter, i.e. interroganti, recitare, (memoriam onerare verbis, eave priusquam obliterentur censori recensenda ruminare) sed ignotas Veritates cum judicio rimari, tandemque si Veritatum Autor annuat producere: non ex nihilo, sed ex datis positisque certis veritatis & rationibus, ipsis quæ sitæ causis & radicibus, quæ quoad abstractos Numeros vulgo factores & genitores dicuntur.

§. 23. Dantur autem rationes rationum factrices & genitrices, quando pro se definite cognitæ sunt: non prædicamentaliter, & ab intra confusè; (sicuti subjecta dictorum, ipsaque prædicata, definita dicuntur, quando saltem ab extra distingvuntur ab aliis; ab intra vero confusè supponuntur: juxta Canones: Prædicationes tantum in concreto fiant; sintque tales, quales ullò modo permituntur à suis subjectis; concernantque suppositum, tanquam totum, indivisim, non attendendo quam præcisè partem, aut quoadusqué totum intus afficiant; imo Pars planè non prædicetur de toto, ne subjectum & prædicatum non adæquatè sint unum & idem) sed subtiliter & præcisè, qt. subjecta, præterquam quod & hîc ab initio confusè nominentur, mox etiam adhibitis restrictionibus in se determinantur; dum, præcisis reliquis utriusqué subjecti qualitatibus, una certa qualitas, ut certum fundatum, ejusq; certa fundandi ratio, quoad rem, inutroque subiecto; certus etiam comparandi modus, quoad computantem men-

iem, attenditur; & horum quodlibet seorsim certis notis exprimitur: juxta quas certitudines & restrictiones subiecta (dicendo confusa proposta) q.s. legitimantur ad computationem subeundam, cuius Termini sint oportet exactè definiti.

§. 24. Ex datis ad edendam & reddendam nobis rationem, quam fovent, accuratè sic instructis, ipsa *Ratio quæsita*, quam datae rationes eatenus intercipiunt, tanquam tertium & quæsitum quid, inquiritur, invenitur, eruitur, producitur, gignitur, paritur, generatur & in mente fit: tanto quidem præcisiùs & distinctius, quanto fundamen-tum est determinatius. Hinc eruta ratio *PRODUC T U M*, *Factum vulgo TÒ F A C I T*, appellatur. Quo Facto, tanquam fœtu s. pro-ventu, cùm Syllogismus planè destituatur, insuperque verborum proprietatem nimium urgeat; natura sterilem se fatetur, & fœcun-ditatem, uti verborum, Oratoriæ cum persuadendi technis; ita Ve-ritatem, Computo cum inveniendi demonstrandique dexteritate, si-mul & cum immensâ voluptate, cedit.

§. 25. *Invenitur* autem sciscitando *Ratio quæsita* (*Veritas & Bo-nitas*) non per expostulationem clamosam; sed in silentio potius & spe, fusis ad Autorem Veritatis *SAPIENTUM PRECIBUS*, qn. Philomathæ *Duetui divino congruè cogitare nitimus*, quod fit. (1.) *præpa-ratoriè*, quando non tam *dubitando*, quam hypotheticè decernendo, fiducialiter & submissè *supponimus* quærendæ rationis, quasi jamdum notæ, notam seu signum, dicimusque *Rem*, s. *Causam*, (Cosam, unde cos-ifica s. realis computatio) *Radicem*, & *Quæsum*, (potius quærendum) quod charactere certo, (v. g. a. x. z.) designamus, & secundum datas rationes prosequimur, donec appareat productum hypothe-ticum, peculiari cuidam dato congruum (semper enim plusquam unum datum sit oportet) diciturque *SYNTHESIS*. (2.) *Pro-batoriè*, quando philomathæ (nam εαὶ ἔσω Φιλομάθης εῶ πωλυ-μαθής) productum hypotheticum ad animum revocamus, & cum dato sibi congruo consideratè prosequimur: quod fit, quando no-ticias nobiscum natas, tanquam rationes primas, cum attentione re-colimus, quas nunquam non ab ipsomet Autore Veritatum nobis cla-re dictari gratâ mente reminiscimur: ex quibus primis, eas quæ pro-ductum hypotheticum cum dato congruo proprius concernunt, eli-gimus; secundum quas per intermedias noticias utriusque congruas

quasi

quasi regredimur ad ipsam Rem s. Radicem, exactā sub determina-
tione suā producendam: & dicitur A N A L Y S I S.

§. 26. Ut autem congruas notitias intermedias assequamur,
Autor Veritatum facit, qui ductu suo nobis præit, per *similia* semper
& *equalia*, per *analogia* seu *proportionalia*, vel *directè* vel *reflexè*, per
opposita vel *versalia* seu *versa* transeunte, quæ quatuor terminis, in
se tamen redeuntibus (quadraturâ circuli) nituntur. Ita namque
Sapientia divina mediis ingenio nostro congruis (quadrato-rotun-
dis) nobiscum ludere gaudet. Hunc ductum ut sequamur, eique
conformiter procedamus, inter componendum & dividendum, (in
Synthesi pariter & Analysis) semper ad vicinas rationes hinc inde
circumspecte correspiciendum est, & ubique bina binis, adeoque
quaterna, si non ipsis terminis tamen rationibus inter se continua,
positis & productis commensuranda sunt, donec exactam T E-
T R A C T Y N, i. e. exactum ordinem Veritatum congruarum quasi pyra-
midalem, attingamus, qui quaternis rationum vel continuarum vel
discretarum ordinibus, ut Elementis, coagmentatus ab utroque
principio primo, tanquam à bicipiti vertice, per rationes interme-
dias, primas & secundas, ad quæsitam, indice quasi digito sic demon-
strata, excurrit.

Nam sub hac specie collineationum rationalium, non corpora-
liter & extensivè, sed spiritualiter & intensivè, solidâ, nempe sub
specie pyramidis & flammæ, rationum vel continuarum, quasi tri-
lateraliter; vel discretarum, qs. quadrilateraliter, sibi subordinata-
rum, refert Autor Veritatum in mente nostrâ Veritates rerum fini-
tarum omnes simul & unâ: diversas tamen diversis notionum re-
spectibus distinguit, quorum respectuum similitudine congruas in-
ter se Veritates designat & ostendit.

Prosecutione similiū igitur & proportionalium, inter opposita
transversaque cohærentium, attingimus quæsitæ Veritatis Tetra-
dyn: secundum quam Autoris Veritatum ductus meditantibus
oblatus, & ad Veritatem quæsitam tanquam ad basin terminatus,
præcisus reliquis Veritatibus in Mente nostrâ seorsim comparet;
adeoque certitudo quæsitæ Veritatis, seu, quod supposita primo,
deinceps etiam ad animum revocata, Ratio continuo træctu cum ipsis
primis veritatibus cohæreat, adeoque vera sit, vel directè vel per
reflexionem, clare nobis illucescit.

§. 27. Sicut autem primum omnium Veritatum principium, Ef-
ficiens quidem, est *Veritas infinita*, Deus; Objectivum autem NUL-
LITAS quā puram; UNITAS finita (simplicissimè Punctum) quā
modalem, finitorum rationem; ita TETRACTYS ab utroque
principio, per quaternitates proportionum, illic purarum, hic mo-
dalium; illic numericarum seu materialium sine pugna; sed hic
formalium id est ordinalium cum pugnā (biceps hinc Parnassus fin-
gebat à Poëtis) ad Veritatem quæsitam, ut biceps Pyramis progre-
ditur. Tetracty vero quæstæ rationis perspecta, gaudium ex imo
corde resultat, eo, quod Autor Veritatum nos dignari voluerit, du-
ctui suo congruè meditari. Nam unio seu convenientia mentis hu-
manæ cum Divinâ, fundamentum illud est tanti gaudij, quod in no-
bis ex unâ quavis supputatione, quæ per *Probam* iusta deprehendi-
tur, præsertim autem ex profundiore, resultat: cuius gaudii vix pri-
mum punctum largitur Syllogisatio quoad formalia, quando dictum
de omni, de quovis dici, gaudemus; quoad materialia verò gaudii ra-
tionalis ne vestigium quidem ex Syllogisationis triangulari Tripode
percipimus, quippe quo non plus concludimus quā in præmissis
datur. Neque gaudium sed jactatio resultat, si dicta dictis ambidex-
tris in utramque partem ventilamus: ex qua jactatione, si tenaciter
adhæreas alterutri pat̄, metuis, ne contrariis impulsibus hinc ab-
reptus labaris, unde suspicax, tenax, pertinax, sententiae, potius quam
hilaris & quietus in veritate, redderis. Utrum autem gaudium, an
contentionem operetur Demonstratio dictionalis unius Syllogisa-
tionis, cuius Conclusio per se vera per medium æquipollens confir-
matur, quando definitio subjecti, vel prædicati, denuò nominat id
quod definitum antea nominabat; viderint ejus Cultores, bonique
consultant, si per Philomathas ad supputationis gaudium nec quic-
quam invitati contendere malunt quā quiescere. Genuinum in-
terea gaudium rectæ rationis ex imo corde resultare pergit inter
Philomathas, quod cum ab infinitâ Mente non nisi per Tetractyn
(quasi per Quadrordinem) productivarum Demonstrationum in cor-
de suscitetur ordinariè; mirum non est, quod TETRACTYS à Py-
thagorais adeò celebrata, Deusque terrestris & DEI vicarius, i. e.
Index DEI Digitus, quō Veritates eruere licet in hoc statu terreno, dicta,
totque laudibus decantata fuerit; cuius olim quasi per somnium me-
minis.

minisse volupe suit: nunc post tot vigilias in aprico comparentem
quin exosculer, quis succensebit?

§. 28. Producitur autem ex datis ordine Tetraëtyco Ratio quæsita vel immediate vel mediata. Immediate per COMPUTATIONEM strictè dictam, quæ datis binis utitur, ex quibus producitur tertium, quod est ipsa Ratio (vel valoris puri, vel ordinis & modalitatis) quæ datis intercedit. Imò, quartum quid est producta ratio, cui data bina præmittunt secundum & tertium; primum autem in omni computo natura per se datur, quod dicendo tamen retinetur, & à solo computante, qui computum ad animum revocat, intelligitur.

§. 29. Principium nempe finitatis, ipsiusque multitudinis & ordinis est, quod hinc, etiam in computatione primum, ubique præsupponitur. Estque conceptu suo vel purum, quod est NULLITAS, & Nihil, puræ computationis (Additionis, Subtractionis) principium; vel modale seu mensurativum, quod est & SEMEL, aut simpliciter, modalis computationis (Multiplicationis, Divisionis) principium: Quatuor hæc (principium, bina data, productum seu & Facit) exactâ proportione sui generis progrediuntur, dum in omni computo, sicut se principium ad datorum unum habet; ita se datorum alterum habet ad productum.

§. 30. Mediata producitur Ratio quæsita per SUPPUTATIONEM strictè dictam, quæ vel simplex vel composita, simpliciter aut mixtè talis, in infinitum. Simplex datis tribus utitur, ex quibus producitur quartum: habitudo nempe consequens, antecedens, aut concordans, ipsis datis eo modo limitatis congrua, quæ vel constitutiva vel circumstantialis est. Et constitutiva quidem essentia vel interna Totius, Partis, Materiæ, Formæ, quam ipsam in simplicibus etiam assequitur computatio; vel externa, Causarum, & Effectuum. Circumstantiales habitudines variae sunt, tum ratione Status tum ratione Motus. Quibus omnibus universa cujusque rei finitæ Cognoscibilitas includitur & continetur.

§. 31. Quapropter, uti formaliter in Tetraëty consistit exacta cognitio rerum & actionum finitarum; ita materialiter utrisque deductionibus productivis (nempe rationum tum essendi tum causandi circumstantiale realium) universum sciendi pariter & agendi negotium rationale circa res completur: Cujus ultima producta, (plura simi-

lia simul suinta) Deductio Dictionalis certis Nominibus involvit, obiter, expeditè tamen, & communis usū ergo, ne periculum sit in morā, cito communicanda. Singulas a. Rationes computas ipse succinctis characteribus (*Numerorum, ordinum*) penetranter significantibus pro scientiā sapientiāque penitiū inspicienda communicat. Quarum simplicitatem si Syllogisatio ceremoniis suis involveret; Deductionem scientificam potius obscuraret: *Quia determinata ratio diversitatis, per computationem eruta, (quæ principiis & Elementis essendi non minus ac causandi realibus, nedum ipsis compositis, intercedit) non nisi per ambages transformari potest in Identitatis ad dicendum idonea speciem.*

§. 32. Hinc, usui dicentium relicto Syllogismo, Veteres modernique Philosophi sciscitantes & Mathematici, rationes ex computatione natas per simplicem $\Sigma\pi\chi\epsilon\iota\omega\sigma\nu$, quasi per *Elementationem*, multò lympidiūs, clariūs, puriūs & penetrantiūs, quam Dialectici problemata sua per Syllogismos, tradunt. $\Sigma\pi\chi\epsilon\iota\omega\sigma\nu$ enim & Elementatio, productarum ex primis rationum secundarum Tetraëctyn & ordinem cohæsivum, aliqua ne sit an nulla; firma ne sit, an lubrica cohæsio? velut ad oculum ostendit: unde verane sit an falsa propositio, certane sit an dubia, clare perspici potest.

§. 33. Ubi, si Mens Rationes (*Veritatis aut Bonitatis*) à primis ad quæsitas usque continuâ Tetraëcty progredientes, instar Pyramidis conferruminatæ, firmiter inter se cohærere clare certoque videt; Ratiocinatio tanquam certa, quatenus adhuc in Universalibus subsistit, DEMONSTRATIO dicitur & Scientiam parit; circa singularia vero tantum exercita Menti operatio certa (cum rectâ ratione certi cujusdam effectiva) dextra *Constitutio* vel *Ordinatio*, reclavè *Præstatio*, vocatur, & in naturalibus ARTEM, in moralibus VIRTUTEM, parit; Utrorumque Vis, universalium nempe singulariumque recta prosecutio, quoad habitum, (qui summa perfec̄tio Menti etiam profunda sapientis est,) SAPIENTIA vocatur.

§. 34. Ars & Virtus ex productivâ Scientiâ suâ sponte resultat: Nihilominus etiam sine Scientiâ, vel ex usu, vel secundum regulas pro compendio per Scientiam excogitatas, & ex computo productas, solas, exerceri potest utraque. Licet autem nec Ars nec Virtus Scientiam in agente necessario supponat; contra tamen ubi deficit Ars aut

aut *Virtus*, ibi *Scientiam* (puta veram atque genuinam, nempe productivam) deficere tuto semper existimari potest. Ubi vero Scientia productiva dirigit *Artem* & *Virtutem*; ab errore circa speciem immunis est praxis, & in quantitate (cujus variatio speciem non varia) tantum quoad minutiora, labi potest. Mens alioqui recta.

§. 35. Si non firmiter cohærent rationes, propendeant tamen inter se, velut acervus lapidum pyramidali specie congestorum; aut si Mens, licet rationes inter se firmiter cohærent, eas tamen, prout proponuntur, firmiter & continuè cohærere non clare nec certo videre possit; Ratiocinatio quoad universalia dicitur *probabilis Argumentatio*, quæ parit *OPINIONEM*. Quoad rationes autem singulares, *Experimentatio*, *Tentatio*, dicitur & *Usus*. Hic cum illâ (nim. usus cum opinione) sine Scientiâ, *PERITIAM* constituit; cum scientiâ si concurrit usus, *PRUDENTIAM* absolvit.

§. 36. Ceterum Demonstratio, græcis *ἀποδείξις*, propriè dicitur rationum diversarum, inter se tamen firmiter cohærentium, à primis ad quæsitam tetractyca progressio, vel deductio. Cujus imensa vis & *ἀράγυνη* (quæ ne millesimo quidem inter eruditos, aliqui Demonstratore quantumvis doctiore, penitus est perspecta; reliquorum aliis ignorata prorsus; aliis obiter & ex persuasione nota vix à dialexi differre putatur) utinam saltem eatenq; ab omnibus intelligeretur, ut tota tanta commoda (si miracula frustra videantur) in vitam civilem ex primis principiis hac *ἀράγυνη* deductâ, gaudium item, pax, & concordia Geometrarum inde resuitans, attentè respicerentur; & hinc tandem serio saltem præsumeretur (donec id ex praxi palpare liceret) Veritates præsertim naturales (quæ Número, Pondere, Mensura certi valoris & ordinis constant, ex quibus Veritates morales firmitatem incredibilē nanciscuntur) multo profundiis in Democriti puto latere, quam ut ullum ejus specimen dicendo, tantū ex unius Syllogismi tripode superficiali, produci queat.

§. 37. Deus enim, uti quæ *Fieri* vult ab omnibus æqualiter; unicuius, etiam plebejo, suggestit, ne non sit *ἀναπολογίτης*: ita quæ, præter communia, *sciscitari* vult à singulis inæqualiter & partitim, ut quisque partem scrutetur, (non enim omnes omnia possunt) quam se mutuo doceant, dum alter alteri subvenit, ad complendam humanae Mentis, ut unius generis, perfectionem; abscondere quodammodo

do placuit inter ipsas res, quibus nobiscum ordinariè loquitur. Scil. ut habeamus quod sapienter agamus, & ut gaudium subinde novum emergat: quod tanto jucundius est, quanto profundius immensum illud Ambrosiæ pelagus, nobis in hac vitâ propinatum, penetramus, quanto ve penitus inexhaustam Veritatem Divinarum aurisodinam ingredimur, operâ supputationis perscrutandam prius quam operâ Syllogisationis Collectio fiat inde productorum, quæ juxta receptum loquendi morem inter conversandum obiter (expeditè tamen) communicentur.

§. 38. Sequitur hinc: aliud præter Syllogismum Organon ὄγανον esse, quod rationes quæ rebus inter se diversis intercedunt (quales sunt omnes omnium rerum finitarum partes & qualitates) prosequuntur, & effectum causas reddat, tanquam media demonstrationum, quæ scientiam ipsamque sapientiam pariant. Quod ipsum Organon EUPORIA nomine Veteres indigitarunt: Dialectici pro medio termino, vel identico summeque certo, vel diversali saltem probabiliter congruo, Phonausicum Organon, nempe Canones ad persuadendum idoneos, excogitarunt. ANALYSIS logica genuinum ὄγανον ὄγανον in abstracto tantum intimat. Pura MATHESES idem exercebit quoad Elementa tradit; Mixta quoad ex Elementis orta, quo usque licuit haecenus, prosequitur, id quod nemo non, etiamsi Scepticus, nedum Dialecticus, (modo non Sophista) sit, fateri cogitur.

§. 39. Organon scil. ὄγανον ipsarum in profundo latentium veritatum, non ut Syllogismus phonurgicum, trigonon & superficiale; sed energon, solidum & tetragonon, quâ statum; qua motum autem teres & rotundum est, Catenam habens axi peritrochioque firmiter affixam, & ansâ (λαβή dico τῆς Φιλοτοφίας) instructam: quâ catenâ, meditandi Vede circum axem ductâ, latentes inter diversa Veritates, & quidem si constans amor sapiendi sit, etiam desperatè latentes (modo detur ubi pes figatur) extrahi producique supputando possunt. Cujus Actus productivi Deus, ut Autor & Adjutor certissimus; ita cum voluptate spectator, imò Ductor efficax est. Nec enim delicatius ipsi naturaliter placere possunt finitæ mentes, quam si Sapientiam suam ament, operum cultu nitentes, ut quæ Deus viribus Menti concessis in hunc finem proportionata penitus abscondidit, eruant, aut eruta perlustrant & sapient: modo norint, Deum ipsum esse, qui Mentem sciscitantem dicit, quod mox Sole clarus apparebit.

CAP.